UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CAtalogus sancto//rum [et] gestor[um] eor[um]

Petrus <de Natalibus>

Lugduni, 1508

De sancto Eusebio p[re]sbytero. Cap[itulum]. lxij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70797

Visual Library

altare: quod fecerant: ⁊ incidebāt ſe iuxta ritū
ipſorū lanceolis: vt ſanguine perfunderētur.
Demones eñ plurimū delectantur perfuſione
ſanguinis humani. Tunc helias preſente pplo
altare ipſorum deſtruxit: ⁊ nouo in honorē dñi
cōſtructo ligna et fruſta bouis ſuperpoſuit: et
aquā abundanter deſuper iactare fecit: donec
aqueductus impleretur: ne putarent arte ma-
gica ipſum de viſceribus terre ignē ſuſcitaſſe.
Factaqꝫ oratione ignis de celo deſcendit: qui
holocauſtum ligna ⁊ lapides ac puluerē: etiam
ipām aquā conſumpſit. Quo viſo miraculo po-
pulus conuerſus eſt: ⁊ iuſſu helie omnes ꝓphe
tas baal occidit iuxta torrentē ciſon. ¶ Deinde
dixit achab vt comederet: ⁊ feſtināter deſcēde
ret: ne ipm pluuia ſuperuētura occuparet. quo
comedēte helias inclinato capite orauit: ⁊ miſ-
ſo puero ſepties ad videndū cōtra mare: ſepti-
ma vice vidit nubeculā aſcendentem: que vſqꝫ
tunc nō apparuerat. Feſtinanteqꝫ achab domū
facta eſt pluuia grandis: ⁊ omnē terram irriga
uit. Iezabel autem audito quod helias fecerat
de prophetis baal querebat vt occideret eum:
qui timens fugit in berſabe iuda: et dimiſit ibi
puerum ſuū: et perrexit in deſertum via vnius
diei: ſedenſqꝫ ſubter iuniperum: petiuit anime
ſue: vt moreretur: poſt modū vero dormiuit: et
excitatus ab angelo et confortatus: atqꝫ pane
celico ei delato refectus ambulauit in fortitu-
dine cibi illius. xl. diebus: vſqꝫ ad monten dei
oreb: vbi preceptum accepit a deo de vngendo
azael regem ſuper ſyriam in damaſcum: ⁊ ieſu
filium nanſi regem ſuper iſrael: et heliſeum fi-
liū ſaphat de abela in ꝓphetā ꝓ ſe: vt iſti tres
interficerent idolatras iſrael. Que omnia he-
lias adimpleuit iuxta mandatum dñi. ¶ Mor-
tuo vero achab rege iſrael: regnauit pro eo filius
eius ochozias qui ambulauit in vijs malis pa-
tris ſui ⁊ matris ſue impie iezabelis: propter
quod deus puniuit eum: vt cadens de cancello
cenaculi ſui ad mortem egrotaret in ſamaria ci
uitate. Miſitqꝫ nuncios ad conſulandū beelze
buth deum acharon: an liberari poſſit de infir-
mitate ſua: quibus ex precepto dei occurrens
helias: eos redarguit: dicēs ꝙ ochozias de ipa
egritudine moreretur. Cumqꝫ rediſſent nuncij
ad regem: ⁊ ei verba narraſſent: queſito ab eis
de habitu viri: intellexit ipm eſſe heliā: miſitqꝫ
ad eum principem quinquagenariū ⁊ quinqua
ginta: qui erant ſub eo: vt vocarent heliā vel in
uitum traherent. Et ad mandatum helie deſcē
dit ignis de celo: et deuorauit eos. Rex quoqꝫ
miſit alium quinquagenarium ⁊ ſuos quinqua
ginta: qui ſimilia paſſi ſunt. Deſtinatus vero ter-
tius: qui abdias fuiſſe dicitur: curuauit genua
contra heliam: ⁊ eius miſericordiam implora-
uit. Et propheta dñi cum eo iubente angelo de
monte deſcēdit: et ingreſſus ad ochoziā ipſum
de idolatria redarguit: mortemqꝫ ei imminere
prophetauit: qui et mortuus eſt iuxta verbum
helie. Pro quo iorā frater eius regnauit: eo ꝙ
ochozias filium nō haberet. ¶ Anno vero primo
ioram regis iſrael cum helie reuelatum eſſet ꝙ
deus ipſum tollere vellet: iuerunt helias ⁊ he-
liſeus de galgalis in bethel: ⁊ deinde in hieri-
co: ac demū deuenerūt ad iordanē ſequētibus
eos quinquaginta ex filijs prophetarū: qui di-
uino ſpiritu raptum helie prenouerāt. Tūc he-
lias ſtans ſuper ripam iordanis: tullit pallium
ſuum ⁊ percuſſit aquas que diuiſe ſunt in duas
partes: ⁊ tranſierūt ambo per ſiccum: helias vi
delicꝫ ⁊ heliſeus. Dixitqꝫ helias ad heliſeū: vt
peteret quod vellet ab eo anteqꝫ ab ipſo tolere-
tur. Qui petijt vt duplex ſpiritus eius in eo re-
quieſceret: ſcilꝫ ad prophetandū ⁊ miracula fa
ciendum. Cumqꝫ pergentes ad inuicem loque-
rentur: helias curru igneo et equis igneis ra-
ptus eſt ab heliſeo ⁊ per turbinem in celū: hoc
eſt in ſuperiora aeris aſcendit: tranſlatuſqꝫ eſt
in paradiſum terreſtrē vt credit: vbi cū enoch
corporaliter viuit redituri in fine ſeculi: ⁊ con-
tra antichriſtū conflictum habituri: quos ipſe
demū occidet: ſed eos dominus ſuſcitabit: vt
habetur Apocal. xi. c. Leuauit autem heliſeus
pallium helie: quod ceciderat ei: et percuſſis
aquis iordanis ſecunda vice diuiſe ſunt: ⁊ trāſi
uit heliſeus per ſiccum ad aliam ripā vbi erant
filij prophetarum. Qui viſo miraculo diuiſio-
nis aquarum intellexerūt ſpiritum helie in he-
liſeo quieuiſſe. Celebratur autem dies raptus
helie ꝓphete ab hebreis. xix. kalen. ſeptēbris:
quo die tradūt eū in paradiſū fuiſſe trāſlatū.
Hec ex libris. iij. ⁊. iiij. regū: capitulis quibus
ſupra: ex dictis ioſephi: ⁊ hieronymi: ⁊ ex hyſto
ria ſcholaſtica: atqꝫ ex chronica guilelmi.

¶ De ſancto Euſebio pſbytero. Cap. lxij.

Euſebi⁹ pſbyter ro-
me claruit tempore conſtantij
auguſti: ⁊ liberij pape heretico
rum: qui vir catholicus et do-
ctrina preclarus: dum fidē ca-
tholicā conſtanter defenſaret:
et conſtātiū auguſtum atqꝫ liberium vrbis ro-
me epiſcopum hereticos ꝑdicaret: eo ꝙ arria-
ne fidei conſenſiſſent. Ab eodem conſtantio ro
gatu liberij detētus eſt: ⁊ in quodam cubiculo
dom⁹ ſue incluſus habēre in latitudine pedes
quattuor: ⁊ ibi multis mēſibus in oratione pſeue
rauit. Incluſus tamē adhuc poſt mēſes ſeptē
dormitionē accepit. xix. kalen. ſeptembris. Cu
ius corpus gregorius et oroſius presbyteri ſe-
pelierūt via apia in cimiterio calixti: iuxta cor
pus beati ſixti pape et martyris in crypta. Qꝺ
audiens conſtantius auguſtus gregoriū pſby-
terum cepit: ⁊ viuū in eadem crypta ſepeliuit:
vbi poſt dies tres in pace quieuit.

¶ De ſancto Euſebio epō emeſſeno. Cap. lxiij.